

## Psalmus 113

- 1 In exitu Israel de Aegypto,  
domus Iacob de populo barbaro.
- 2 Facta est Judaea sanctificatio ejus  
Israel potestas ejus.
- 3 Mare vidit, et fugit:  
Jordanis conversus est retrorsum.
- 4 Montes exsultaverunt ut arietes,  
et colles sicut agni ovium.
- 5 Quid est tibi mare quod fugisti?  
Et tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?
- 6 Montes exsultastis sicut arietes,  
et colles, sicut agni ovium?
- 7 A facie Domini mota est terra,  
a facie Dei Jacob:
- 8 Qui convertit petram in stagna aquarum:  
et rupem in fontes aquarum.
- 9 Non nobis, Domine, non nobis,  
sed nomini tuo da gloriam:
- 10 Sper misericordia tua et veritate tua:  
nequando dicant gentes: Ubi es, Deus eorum?
- 11 Deus autem noster in caelo:  
omnia quaecumque voluit, fecit.
- 12 Simulacra gentium argentum et aurum,  
opera manuum hominum.
- 13 Os habent, et non loquentur:  
oculos habent, et non videbunt.
- 14 Os habent, et non audient:  
nares habent, et non odorabunt.
- 15 Manus habent, et non palpabunt: pedes habent, et non ambulabunt:  
non clamabunt in gutture suo.

- 16 Similes illis fiant qui faciunt ea:  
et omnes, qui confidunt in eis.
- 17 Domus Israel speravit in Domino:  
adjutor eorum et protector eorum est.
- 18 Domus Aaron speravit in Domino:  
adjutor eorum et protector eorum est.
- 19 Qui timent Dominum speraverunt in Domino:  
adjutor eorum et protector eorum est.
- 20 Dominus memor fuit nostri:  
et benedixit nobis.
- 21 Benedixit domui Israel:  
benedixit domui Aaron.
- 22 Benedixit omnibus qui timent Dominum,  
pusillis cum majoribus.
- 23 Adjiciat Dominus super vos:  
super vos, et super filios vestros.
- 24 Benedicti vos a Domino,  
qui fecit caelum et terram.
- 25 Caelum caeli Domino:  
terram autem dedit filiis hominum.
- 26 Non mortui laudabunt te Domine:  
neque omnes qui descendunt in infernum.
- 27 Sed nos qui vivimus, benedicamus Domino,  
ex hoc nunc et usque in saeculum.